

Q. K. 514/53.

*De summo fac. conium quid fructus libe.
mencubant*

II a
605

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
IN
MEMORIAM
CHRISTIANI KEYMANNI

RECTORIS OLIM DE GYMNASIO ZITTAVIENSI
PRAECLARE MERITI

PROXIMA MARTIS DIE

D. XI. AVG. AN. MDCCLXI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS

GYMNASII DIRECTOR.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





* * *

mnem eruditionem, quod ipsum bonum in ipsius consistit boni cognitione, ideo summam mereri laudem, non temere quis in dubium uocet, quum linguarum, rerum diuinarum humanarumque, et quae ad artes liberales ac scientias pertinent, multifaria notitia sit, ut in omni re studiorum, quibus eruditi occupati sunt, habeantur, quae in proximum, et ad propriam cuiuslibet salutem dirigi possunt. At enim, quum non fieri possit, ut quis omnibus solus sufficiat, nec omnia ingenia omnibus apta sint, sic omnino in litterarum studiis semper requiritur, ut quilibet in seligenda eruditione illas eius praesertim partes respiciat, quae ad metam possunt operatam et certum industriae scopum mature perducere. Quae prudentia litteraria nostra quidem aetate multum desideratur. Quemadmodum enim stomacho sua sunt discrimina, ut alius ex hoc alius ex illo uel esitet uel, ut ita dicam, nauisitare soleat; ita ingeniorum etiam ea diuersitas est; ut huic placeat, quod alteri displicet, ut alter appetat, quod multi alii spernunt. Et Quinctilianus, optimus moderator iuuentutis, bene dixit, in hoc incredibilem quandam uarietatem esse, ut non pauciores animorum, quam corporum formae sint. Inuenias enim, qui, ut alii alia, carmina, quum tamen nihil magnopere humano generi, nisi delectationem, afferant, plenis ueluti buccis praedicent, studium diuinae et humanae philosophiae, qua sola omnis eruditio sibi bene constat, morosi prorsus et tristioris animi delicium habentes. Et sic multi in doctrinis sequendis non cognitionem, quam inter se habent, nec utilitatem et quae scopum feriant, rite discernunt, omnia unice aestimantes pro indole animi, qua instructi sunt. Quod quum nemo ita esse inficias ibit, omnino necesse est, ut iuuenes in schola ea de re diligenter moneamus, ne aut imbibant quasi istud, quod caret usu, aut negligent adornare ingenium, dum copia est, ut, quae sciri oporteat, cuilibet discendum, quum

de scopo certi sunt, ante constet. Qua in re si quando discentibus parum fortassis contulitur, amant illi, qui molliores et inertia dissoluti sunt, qua quidem an ulla res peius nostra aetate iuuenes affligat, uiri circumspecti iam pene nesciunt, semper res leuiiores, inutiles, curiosas aliquando et iucundas, sed nullius frangi, ut non nisi cruda nimium ac impolita studia in forum tandem propellant. Quidam honorum, quos litterae pariunt, ambitu feruentes, proprii ingenii praestantia confisi, dies noctesque in legendo, in meditando, in scribendo anguntur, ut multifaria pariter ac sublimi et recondita doctrina praestabiles famam olim et gloriam assequi uelint. Qui multas res saepe perscrutantur, quae nullam prorsus in hac uita utilitatem praestant. Apud alios longe omnia alia, et a materia quasi remota uideas, quae non in lucro palam posita sunt; quippe qui litteris et doctrina quasi mercatura uti cupiunt, studium sapientiae, pecunias congregandi ergo, mercenarium facientes. Et haec peruersitas, quae multum ab elegantia praestantiaque litterarum discrepat, nostro iam seculo tanta est, ut uehementer multi reperiantur, qui, modernis unice, quae dicuntur, studiis occupati, nullam admonitionem magnopere admittunt, pertinaciter credentes, non fieri posse, ut quis ob aliud studiis litterarum incumbere audeat, quam ob lucri cupiditatem. De his omnibus uero, quae sic more aguntur, et institutis quasi majorum, jam olim Bernhardus dixit, esse quosdam, qui scire uolunt, ut sciant, alios, ut sciantur, alios, ut scientiam uendant, quam intentionem hominum primi ordinis curiositatem, secundi turpem uanitatem, tertii uero cupiditatem appellat. Ne igitur delirent iuuenes, qui studiorum gratia scholas frequentant, illis semper ista ratio proposita esse debet, ut, omnibus reliquis, fabulis praesertim et nugis, sepositis, pro summo fine studiorum, qui religione, patriae, aliorum et cuiusuis sui ipsius salute constat, in isto doctrinarum genere diligentiores sint, quas ratio officii encyclopaediaeque, quo continentur, nexus perpetuo exiget. Qui igitur prudens est, fugiet

QH Na 605 X 338 6613

omnem ignorantiam, quae remoram officio olim persequendo
facere potest, omittet uero exquirere, quae a tramite deducere
soleant. Peccant enim et tempus male consumunt, qui nolunt
in discendo corrigi, imitantes uicia eorum, in quibus cernimus,
quod delinquunt uel in eo, ut ineptias intelligere aueant, in qui-
bus nulla laus, stultus autem labor est; uel in eo, ut in nugis
difficilioribus multum acuti et subtiliores sint, quam referat.
Ob istam ingeniorum temeritatem, qua iam iuuenes etiam in
scholis uel ad deteriora, uel ad leuiora et inutilia, deduci cernas,
ut multa necessaria saepius negligant, omnino necesse est, ut bo-
ni praeceptores suos, quos in schola erudiendos suscipiunt, dili-
genter in partibus eruditionis ordinandis regulas conscribant uti-
litatemque earum commonstrent, ut isti, praesertim quum prae-
clarae indolis et indefessae diligentiae sint, qui ad altiores Mu-
sas aspirant, eo tutius, eo citius liberiori aëri se credant, et in-
stitutum suum eo feliciter conficere possint. *Inanem enim redire
ex scholis, uel peruerse eruditum, non iuueni modo turpissi-
mum est, sed dedecorat etiam et urbis auctoritatem et magistri.
Horum in numero, qui boni Praeceptores discipulis suis in hoc
diligenter a consiliis esse solent, fuit etiam beatus KEYMANNVS,
Rector de Gymnasio olim praeclare meritus, cuius memoriam
craftina luce oratiuncula quadam celebrare pro collegii nostri
scholastici ordine jubeor.

Cui nostro officio B. KEIMANNO exhibendo MAGNIFICI
atque NOBILISSIMI CVRIAE PROCERES, VERBI DIVINI VENERANDI
PRAECONES, denique omnes FAVTORES ET AMICI, ut prolixam
auscultandi operam dare uelint, enixe et, qua fieri potest,
obsetuantia rogo. Scr. Dom. XII, Trinit.

ZITTAVIAE,
LITERIS IOANN. GOTTL. NICOLAI.

514,53.

*De firmo fidei eorum quod fructus libe
memorant*

II a
605

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
IN
MEMORIAM
CHRISTIANI KEYMANNI

RECTORIS OLIM DE GYMNASIO ZITTAVIENSI
PRAECLARE MERITI

PROXIMA MARTIS DIE

D. XI. AVG. AN. MDCCLXI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS

GYMNASII DIRECTOR.

